H... ...lonia
...g. Maiest.
... libellum
supplicem ... tur Evange
licis Ortae scriptum responsum.
1644.

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS
POLONIAE
&
SVECIAE &c.
VLADISLAI IV.
AD LIBELLVM SVPPLICEM,
ab Ordinibus Euangelicis,
Orlæ ſcriptum,
RESPONSVM.

Anno M. DC. XL. IV.

VLADISLAVS IV.

DEI GRATIA

REX POLONIÆ, MAGNVS DVX

Lithuaniæ, Rusſiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Seuerień, Smolenſceń. Czernichouień. Nec non Suecorum, Gotthorum, Vandalorumque Hæreditarius REX.

Regni Noſtri, & M. D. Lithuaniæ, & Prouinciarum eis adnexarum Incolis, Auguſtanæ & Reformatæ, vt vocant, Confeſſionis, Gratiam Noſtram, &c.

Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Spectabiles, & Eruditi Viri, Sincerè Fideliter Nobis Dilecti.

ALtiùs pectori Noſtro inſedit publicæ ſalutis cura, & concordiæ in animos omnium inducendæ deſiderium, quàm vt morâ langueſcere, aut aduerſis quibuſuis obſtaculis intercipi poſſit. Ille ipſe communis boni Amor, quem in magnis ſucceſſibus Orbi oſtendimus, promouimus victoriis, latè propagatâ per omnes Regni Noſtri Prouincias pace, fundauimus; & adhuc perpetuis ſuſtentamus laboribus; quietos Nos eſſe non patitur, quin ſaluberrima conſilia, inter varios difficultatum flexus, proſequamur.

Didicimus hanc quærendæ tranquillitatis conſtantiam à Maioribus Noſtris: quorum dulce in tractandis ſubditis ſtudium, nulli temporum decurſus laſſabant, nulli frangebant obices. Ne ſuo muneri deeſſent, ſpem ab ipſis impedimentis, robur à periculis, accipiebant.

Hos domesticos cordis Nostri stimulos, Præsules quoq; Catholici accuunt plurimùm, qui Christianæ charitatis viscera nuper omnibus aperuerunt: & toto animi viriumque nisu, id vnum iam agunt, Nobis strenuè collaborantibus, vt Religionis vnitatem & pacem, summum Ecclesiæ Patriæq; bonum, postliminio reducant. Cùm verò intelligerent, alios pientissimos conatus non proficere, viam illam liberi & fraterni Colloquij, toties à vestris integro iam sæculo expetitam, magno charitatis apparatu, patefaciunt; in spem erecti, obtineri fortasse posse per paucos, quod expetere debent vniuersi: vt extinctis tot opinionum odiorumque dissidiis, omnes tandem in eandem Sententiæ & Amoris vnitatem conspirent, & iterum vitam spiritumq; ab vno eodemq; Ecclesiæ corde ducant vnanimes, qui in eodem Patriæ sinu sese amplexantur, vt Ciues.

Quod pręclarissimum & saluberrimum Prudentiæ & Pietatis Christianæ consilium, vobis nuper per repetitas literas expositum, non displicuisse; atq; etiam magnis laudibus & plurima gratiarum actione dignum visum esse, non sine maximâ animi Nostri voluptate accepimus. Denique non difficili, neq; frigidâ, voluntatis Nostræ acceptatione, quam ex vestris, tum literis, tum nonnullorum Nunciis cognouimus, non mediocriter vota Nostra excitatis.

Neque retardant Nos, quæ in quorundam literis, calentiore, quàm optâssemus, affectu, & calamo deproperata vel eorum aliquem à proposito scopo abripere visa sunt, vel Catholicorum lenissimæ Charitati (cuius Nostra, & Synodica

Episco-

Episcoporũ epistola testis est) vehementiorẽ, quàm res postulabat, impetũ importunè opponere. Verùm ea, quæ dulcedinẽ curarum Nostrarum distemperare poterãt, libenter præterim⁹, & ab alijs præteriri volum⁹: & ita rem agimus, vt constet Orbi Christiano, Pacẽ syncerè quæri per viam pacis.

Extinctis ergo, in ipso statim cinere, nouorum irritamentorum scintillis; ea tantùm sectamur, quæ vos ipsi quoq; in spem moderationis, studiumq; pacis & concordiæ flectitis.

Itaque placet Nobis sincera propositi Nostri æstimatio, quam ex Regalis Officij interpretatione collegistis; Placet memoria libertatis, cuius pulcherrimum decus, ornare concordiâ, laboramus; Placet promissa ad negotium Religionis tractandum promptitudo.

Et cùm tot sint, quæ Nos ad susceptæ causæ prosecutionem magnoperè inuitent: illa ipsa tamen prouida vestra solertia, quæ iam, vnde diuersæ opiniones componi possint, ostendit, auxilia ad firmandam veritatem suggerit, modum agendi, totiusque actionis pro parte vestra ordinandæ, designat, suprà modum Nos in instituto confirmârunt.

Sub tot propensionis vestræ argumentis, facillimum Nobis fuit, vlteriora vestra desideria intelligere; & fauorem Nostrum Regium vestris petitionibus inclinare.

Libenter quocirca, Terminum congressûs & colloquij, Torunij in Ciuitate Nostrâ Regiâ restaurandi, in Anni sequentis, qui est Salutis Nostræ 1645. Mensis Augusti, diem vigesimam octauam, styli Noui *Gregoriani*, promouemus: vt omnem interea doctrinam, consiliaq;, ad commune re-

conciliationis nomen disponere, & eruditos viros ad ponenda pacificationis fundamenta designare valeatis.

Proderit etiam, tam ampli spatij indulgentia, ad contingendam celerius amicæ allocutionis metam: cui Nos quidem trium Mensium cursum assignamus (quamuis pro tam amplo negotio angusti limites non nemini videri possint) sed illa aut citiùs occurret, si vacuo hoc tempore plùs disceptationis, inutiliumq; tricarum, sepositum fuerit, aut poterit ex partium consensu proferri, vt ad instruendum, labori, veritatique ampliùs aliquantùm liceat.

Quamuis autem Nobis placeat magis, domesticā quietem per subditos Nostros potissimùm tractare, ne euocata Exterorū industria, quæ iam lites grauissimas alibi sustinet, tranquillitati Nostræ aliquid detrimēti afferat: vt tamē præsenti negotio omnē opportunitatē prouideam⁹, aliquos aliunde euocari posse, benignè annuimus. Volent illi, dubio procul, quamuis longis Regionum suarum dissidijs innutriti, pares vobis, Nostræq; paci, animos assumere, & omem sentētiarum dissensionem, Regni Nostri genio, temperare.

Vt autem vniuersi & singuli, tempestiuè intelligant, paci & securitati suæ, in itu, redituque opportunè prouisum esse; Nos vndequaq; planissimo rerum progressui consulētes, sine dilatione & morâ, Fidem publicam, quam Saluum Conductum nuncupant, dandam & concedendam esse duximus: quemamodū, tenore præsentiū, eandem omnib⁹ & singulis, qui ad tractandum hoc sacrum Recōciliationis negotium, vndelibet, legitimè à sua parte, vel à suæ partis moderatorib⁹,

sub

ſub Auguſtanæ & Reformatæ Cōfeſſionis nomine euocati, vel deſtinati fuerint, clementer damus & concedimus; & vt integrè ac tutò, abſq; omni impedimento vel metu, Torunium adire, ibidem tempore conſtituto manere ac morari, & præmemoratum Reconciliationis negotium (iis legibus & conditionib⁹, quas ex legitimo & vnanimi præſidentium, partiumq; conſenſu, & Noſtrorum Senatorum qui præſentes aderunt, aſſenſu, ſanciri opportebit) tractare; & demùm confecto integrè, vel ex parte, eodem negotio, liberè & ſecurè abire, & ad ſua redire poſſint, pleniſſimam veriſſimamque ſecuritatem, benignè impertimur.

Neq; verò autoritatem Regiæ Noſtræ præſentiæ, huic negotio magnoperè neceſſariam arbitramur; cùm per Noſtros vtriuſq; Ritûs Senatores, quos iam deſignauimus, ſecuritati prouiſum ſit: & à veſtro potiſſimùm conſenſu, optatiſſima in Fidei vnitatem conſpiratio pendeat. Sub horùm præſidio, fas erit conſtituere è vobis moderatorem, qui ſe intra veſtræ partis fines contineat. Fas erit voce & ſcripto ad arbitrium agere, tempora colloquendi ex negotij vtilitate amplecti, propoſita aut conciliata, in publicam aliorum notitiam, ſcripto vel Typo, ex pacto deferre.

Ex hoc Noſtræ voluntatis Dignationiſq; teſtimonio, iam profectò intelligitis ipſi, quàm Nobis gratum ſit, ſingula ad ſpem optimi exitùs diſponere: quam Catholicis promptum nullâ diritie offendere. Non illi vos tanquam reos, ad Tribunal vocant, vt edictis ſuis inuitos damnent: ſed velut eiuſdem Reipubl: Ciuibus, pacatam Colloquij Fraternitatem

offe-

offerunt, quâ liceat ad consensum vsq; sensim progredi, & tandē in vnum Christi Corpus coälescere. Iam se ad æquilibrium, quantum licuit, & præsens negotiũ exigebat, cõmiserunt; quò sanctius vtiliusq; animorũ euadat commercium. Neq; vos, vt prudentissimi estis, plura ab illis extorquebitis; nè dum eos ab vno Capite summo retrahere nitimini, iam secessionem non conuictis obtrudere, & in precium paruæ pacis, magnum dissidium exigere videamini.

Agite quocircà, sincerè fideliter Nobis dilecti, atq; virib⁹ totis ad stabiliendā pacis integritatē aspirate. Ipsi vos in manibus calculos tenetis, quib⁹ firmatā iam sæculo vno discessionem emēdetis. Quod cùm feceritis, non iniurij in Antecessores vestros, qui primi vetustissima credēdi vincula reliquerunt, sed vindices illorũ eritis Maiorũ, quorum institutionē proscripserũt posteri. Si illis honorificũ fuit, aliquando in gremio eiusdē Ecclesiæ vixisse, quomodo vobis probro erit conat⁹, quo ipsorũ reuerentiam, Fideiq; hæreditatem, in antiquà diuturnaq; sentiendi consuetudine quæretis?

Vtinam verò, quod vnicè vouemus, & à Deo pacis ardenter exposcimus, Nostris, vestrisq; desideriis omnia feliciter respondeant! cederet, dubio procul, ea res Christo Regum Populorumq; Regi in Christiani Regni decus; Reipublicæ in securitatis, solidæq; pacis beneficium: quæ duo nobilissima commoda, Nos in tam præclari operis molitione studiosè intendimus. Interim Sinceritates & Fidelitates vestras benè valere cupimus. Dat. Varsauiæ 1. Decembr. Anno Salutis, 1644.

VLADISLAUS REX.